



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Vitalianus Ep. 16. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

350 VITÆ SANC TORVM. 16.Iulii.
saperent) perpetuos esse jussit. Ex Surio & Virid.
Raderi.

Nullus homo sibi solum vivit, & quanto scunque ex-
emplo sanctæ vitæ edificaverit, cum tantis & pro tantis
mercedem retributionis beatæ vitæ accipiet & quantis-
cunque exemplum malæ conversationis, etiam si eum non
sequantur, præbuit, pro tantis se malis noverit rationem
redditum. S.Aug.serm.1.de temp.

S. VITALIANUS EP. 16.Iulii.

C Apuæ natus VITALIANVS virtutis præmium à
patriâ Infulam tulit. Fuerunt tamen qui de-
cus hoc inviderent alieno capiti, suo quærerent.
Et placuit insuper, cùm vel maximè seriò rem
agerent, fabulam tamen dare. Dormienti vestes
suas auferunt, & in locum muliebres reponunt.
Has ad preces matutinas vocatus imprudens in-
duit, & templum petit VITALIANVS. Enim verò
ridentibus aliis non riserunt scelerum fatores.
Meretricio habitu contemeratam Infulæ majesta-
tem clamant. Proditam tandem histrionicam vel
ab ipsâ nocte sanctitatem. Parum fuisse cum mu-
lieribus noctes, dies agere, nisi totus denique in
mulierem abiret. Viderent nunc cives an non re-
ctius colum quam pedum mulieri committerent.
Si viri essent, non laturos sic stolatum Episcopum.
Si expiare urbem vellent, monstrum (Episcopum
feminam) aquis sepulturos. Quid multis? dum
patrono caret innocentia, in mare abjicitur, non
jam eluente sed faciente parricidium culeo. Sed
quis innocentiam mergeret? Emergit more suo;
& cælum ingratis civibus aquas & cum his sege-
tem negavit, dum VITALIANVM revocarent. Unâ
igitur VITALIANVS & imber è cælo missi excepti-
que,

que. Sed ille non fidens honoribus, DEIPARÆ Templum struxit, vivesque in hoc privatus invidiā sub VIRGINIS pällio impunē jam risit. Ex Ferrario.

Anima, quæ amat, ascendit frequenter & currit familiariter per plateas cœlestis Ierusalem, visitando Patriarchas & Prophetas, salutando Apostolos, admirando exercitus Martyrum & Confessorum, chorosq; Virginiū speculando. S.Aug.Man.c.24.

S. ALEXIUS CONF. 17.Iulii.

THEATRUM est Orbis, in quo sæpius malè multi divitem, sed bene pauperem egit ALEXIVS. Patrem Romæ habuit Euphemianum senatorii Ordinis; Sponsam Regii sanguinis. Sed quâ nocte Hymenæus pedem thalamo inferebat, sponsum non reperit. Nempe noctis beneficio elapsus Edes-sam aufugit; ibique inter mendicabula tam diu latuit, dum ab effigie DEIPARÆ, ad cuius templum assiduus excubabat, est proditus. Tunc Romam rediit, & (quis credat?) in patriâ domo felicius personam dissimulavit. Hic cum è tangâ hereditate vix ultimum angulum ædium impetrasset, risit scilicet, cum domi se agentem quæri in alieno orbe videret, cum parentes se orbos, sponsa viduam lamentarentur, cum utrique præsentem inclamarent, vivum lugerent. Spectabat interim siccus suorum lacrimas, vivus suas exequias; appellabat patrem matremque, nec filius audiebat; basiabat servorum suorum manus & ab his servilia multa patiebatur, jam pugnis contusus, jam sordibus perfusus. Sed demum mors sifarium reduxit. Vox etenim humanâ major Romanum & Pont & Imp. ad demortuum excivit. Ibi ALEXIVM prodiderunt vul-